



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Ad Alexandrum Pollinum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

122 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.

Allicit, & Latiae rapiunt miracula terrae;

Seu quae vetusta, seu recens aetas tulit.

Jam Paderae Thybrim, jam septem praefero colles
Angariorum montium cacumini.

Jam mea¹ Bilstenias fugio cunabula rupes;

Et, qui propinquo mons² Caballinus jugo
Surgit, & accipitres pernibus educat alis

Certare doctos ardeis Britannicis.

Præcipue commendat iter mihi gratia praesens,

Et purpurati CHISII recens honos;

Qui movisse potens vel avitas carmine quercus

Facundus Orpheus nos in Ausoniam trahit.

A D A L E X A N D R U M
P O L L I N U M.

I N G E N S Ausoniae lumen, & Atticae

Suadæ flos, & amor Palladis, & decus

Nostrea dulce Camenæ,

Nec non candidus arbiter;

Quid, POLLINE, latens jam nimium diu,

Cedro digna negas edere carmina,

Et durus pater abdis

Fetus divitis ingeni?

Non, ut deliteas, te Deus aurea

Donavit cithara Delphicus, & sui

Multa parte Thalia

Versus nectaris imbuit.

¹ Bilstenia arx Angariae munitissima, dynastiae cognominis, in altissima rupe sita, in qua Auctor an. 1626. 21. Octob. natus fuit. ² Mons Caballinus vulgo Rossenberg.

Ingratus metuat lædere numina,
 Qui, quæ dona sibi contulerint, premit.

Tu Parnasside lauro

Vinctus tempora, nobilem

Indulgens meritis fume superbiam,

Et te victor humo præpetibus leva

Pennis, & super alta

Certus tendere nubila,

Ales fideream carpe citus viam.

Paullum desidiæ distat inutili

Quæ demersa profundis

Virtus in tenebris jacet.

Quis pugnata duci prælia Dardano,

Et Troiæ profugos in Latium Deos,

Quis surgentia nosset

Urbis mœnia Romulæ,

Morem si rigidis imperiis gerens

Flammis continuo Cæsar edacibus

Immortale Maronis

Commisisset opus sacri?

Vera laude caret sæpe modestiæ

Virtus: & vitio proximus est pudor,

Qui vitare perennis

Audet lumina gloriæ.

Quod si purpureum sponte vides diem,

Formosumque caput crinibus aureis

Alta nocte sepultis

Terris reddere Delium,